

P V I S



1 6 0 3

EPICEDIA SEV CARMI-
 NA FVNEBRIA,
 IN OBITVM ORNA-
 TISSIMI ET CLARISSIMI VIRI, PIE-
 tate, virtute & doctrina præstantissimi Domini M.
 VVOLGANGI SCHVLERI MVNER-
 STADENSIS Fr. Mathematicum in inclyta Vuite-
 bergensium Academia professoris excellentiss: qui in ve-
 ra agnitione, & inuocatione Filij DEI Emanuelis, ex hac
 lacrymarum valle, cælestem in Academiam τῶ λόγῳ
 piè placideq; migravit: postridie Calendas Iuni-
 as, hora vndecima noctis, Anno salutiferi
 partus supra sesquimillesimum LXXV.

Scripta ab
 Amicis & popularibus.

Ἐτεοσιχον continens simul mensem
 & diem obitus.

IVNIVS Vt PhœbVM InFLExIS bis IVNIXerat aLTI
 FLVctibVS OCCani, fata SCHVLere svbIs.

I. Klingenb: N.

VVITEBERGAE.

Typis Clementis Schleich & Antonij Schöne.

Amplissimi Dni consulis filio, J. W.



MEMORIÆ

VIRI CLARISSIMI ET

DOCTISSIMI DOMINI M.

WOLFGANGI SCHVLERI FRAN^o

ci Mathematicum in Inclita Vuite-

bergenſium Academia

Professoris eximij

DICATVM.

Quæ prius astra oculis luſtrabat ea aſtra SCHV-
LERVS

Nunc ſibi pro Chriſti ſanguine parta tenet,
Debita pars terræ cubat hîc: pars debita cœlo
Viuit; fama uolat docta per ora virum.

Iohan: Maior. D.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, IOHANNES CYRIACVS

LIBER BARO IN POLHEIM ET VVARTENBURGK ꝛc.



ATHEMATICAS DISCIPLINAS

Plato ἐν μέσῳ statuit, siue confinio rerum diuinarum & naturalium, quod sempiternæ illæ quidem sint atq; immutabiles, sed in corpore tamen posita, atq; subditæ iudicio sensuum.

Nam & circa τὰ νοητὰ, vt ea quæ ineptè duplicata voce vulgò μεταφυσικὴ dicitur, & circa τὰ αἰσθητὰ, Philosophiæ naturali propriè subiecta ipsæ occupantur. Etsi autem admodum sunt illustres illæ, vtpote formatae mentis vnus sublimioris contemplatione, & demonstrandi verò subtilitate etiam certissimæ, atq; adeò λαβαί, (vti apud Plutarchum Xenocrates nuncupat) Philosophiæ vniuersæ: Quod tamen non pari opera ac felicitate eadem, qua artes cæteræ, perdisci possint, sed multi sudoris sint, ac studium requirant assiduum, atq; intentum, vsum deinde strenuum & exercitationem accuratam: Præterea quod pauci sint animis & ingenijs ita nati comparatiq; vt in tanta rerum obscuritate, tam recondita in arte, & multiplici subtiliq; versari cum fructu possint, à plerisq; vix primoribus labris degustantur, à non etiam nullis prorsus negliguntur, vt non ita multò post metuenda sit fatalis earum ruina, atq; interitus, quem iam modò inclinatae minari videntur, à quo futilis illa σκιογραφία Matheseos, quam

A ij

multi

multi hodie ex imperitioribus maiore studio, quam
fructu, consecratur, vindicare eas haud poterit. Quod
si Mathematica, ut inferiores disciplinae, quae mentis il-
lius, quam *πρακτικῶν* dicunt, concitatione erectae ac con-
ditae sunt, vitae huius commodis voluptatumque illece-
bris, aut vllis denique fortunae corporumque bonis apta-
rentur, haud dubie etiam plures essent, toto animo &
studio omni in illa incubituri. *ὅτι γὰρ πρὸς τὸ κατ' ἡμέ-
ραν κέρδιον φέρει μάθημα ἢ καὶ ἐπιτήδεύμα, ἰδίᾳ πᾶς μανθάν-
ων τε καὶ ἀσκήρων ἐπιμότητος ὅστις τῶν δὲ ἄλλων καταγελάσσει,*
inquit Plato in 8. de legibus. Sed quoniam solitaria
sunt Mathematica, neque in res tanta contemtionem despi-
catas sese demittunt, non etiam magnifunt. Scilicet
has ob causas nunc eruditus ille pulvis sordet putetque.
Non iam dicam de illis, qui Aristophanis more haec stu-
dia plane derident, quibus equidem risum non inuide-
remus suum, modo non simul eò etiam impellerent, quod
iam ante non tam sponte sua, quam nostra potius despi-
dia Mathematica inclinant. Quò maiorem mihi lau-
dem de literaria Repub. mereri videntur, qui nec vllis
vitae commodis abduci, neque cyclopica contemtionem
& despicientia à studiis illis se deterreri patiuntur.

Ex horum numero fuit Magister Vvolfgangus
Schuler, qui Mathesin aliquot annis in Schola nostra
non sine eximia laude & audientium profectu publi-
cè professus est, Vir qui & cum veteribus certare, &
recentioribus par esse, aut vincere etiam eos posse vi-
deretur. Natus is est in oppido Franciae orientalis Mu-
nerstadio, Patre cognomini, praefecto partis eius oppi-
di, quae inclytis & generosis Comitibus ac Principi-
bus ab Henneberg subest. Vixit in hac Academia
totos annos triginta, ubi audire ipsi contigit magna illa
lumina

lumina & *σύλξ* nostræ Scholæ, D. D. Lutherum, & Philippum Melanchthonem: Hunc annos complures, illum vero sesqui tantum: Vtrumque sane in summo eorum beneficiorum, quibus à Deo affectus est, posuit. D. Paulo Ebero vsus est familiariter, atq; opera ipsius domi in primis assidue. Cumq; in disciplinas Mathematicas totum se propendere non obscure animaduertet, omnes inferiores artes, quæ ad illas necessariae sunt, sedulo fideliterq; addidicit, vt quò naturæ instinctu ducebatur, tanto citius eodem perueniret. Postea maturior iam factus, ingressus est in eas pleno gradu, seseq; adiunxit Erasmo Reinholdo, cuius præmaturum obitum dolenter ferre, ac sæpenumero conqueri ipsum adhuc meminimus. Cumq; in semel cepto studio noctes & dies vrgeretur, longiusq; discendo exercēdoq; se subinde procederet, iamq; intelligeret Mathematicum Professores, quos studiosè domi versabat atq; euoluebat, in multis hallucinari, sicut necesse est *πολλὰ πλανηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι ἑσθλόν*, sibiq; adeò minus facere satis, quæ domi sibi deesse deprehendit, ea peregrè acquirere voluit. In difficili ergo illa peregrinatione sua, non alia de causa suscepta, quàm vt in arte sua artifices consuleret, adiit præter alios, Iohannem Sambucum, & Georgium Ioachimum Rheticum, viros hac tempestate clarissimos, quibus à Domino Ioachimo Camerario, vt eruditio merebatur sua, impensè commendatus fuerat: Quibus cum congressus de ijs præcipuè contulit, quæ in Mathesi etiamnum dubia atq; controuersa sunt. De quibus optandum esset scholas & obseruationes ipsum edidisse suas, quemadmodum rogatus est sæpenumero tum ab alijs, tum verò precariò perq; officiosè à Petro Ramo, quem

A iij

in

in planè truci κερδῆγία illa Parrhisiāna tūm religioni,
tūm omnibus honestis literis atq; disciplinis capitalem
minitante & iam parante etiam interneccionem, super
rioribus annis sublatum accepimus.

Hoc viro, Mathematico nostri seculi excellentis
simo heri, id est, postridie Calendas Iunias hora vnde
cima noctis schola nostra orbata est, cum sesqui hebdo
madam decubuisset, febre conflictatus periculosiore,
quàm morosiore, comitata tamen eiusmodi sympto
matibus, quæ non malignitatis nihil præ se ferre vide
rentur. Cumq; à medicamentis natura abhorreret,
ideoq; ad opem medicam serius confugeret, & vires
naturæ verò morbi sæuitia indies augescēte accisæ,
sensim fatiscerent, tandem inter pias preces in agnitio
ne & fiducia Mediatoris placidè obdormiuit, non sine
luctu scholæ nostræ, & ingenti Mathematicarum di
sciplinarum iactura. Et hortamur autem omnes
scholasticos & mandamus ipsis, vt ad funeris ceremo
nias hora quarta in area Collegij frequentes con
ueniant, vbi decet singulos & vitam suam
& Ecclesiam ac scholæ nostræ orbi
tatem Filio Dei pijs precis
bus commendare.

P. P. III. Iunij, Anno M. D. LXXV.



E P I C E D I U M
 IN OBITVM EXIMI,
 ET ORNATISSIMI VIRI, M.
 VVOLPHRAMI SCHVLERI, MATHEMA-
 tum in inclyta VVitebergensium Academia Pro-
 fessoris clarissimi: Popularis, & affinis
 sui longè integerrimi.



ΕΥΨΙ ΒΩΛΦΡΑΜΕΥΣ, καλοκαγαθός
 ἑλλάδι χώρα
 ὅς κλήθηκε σὲ ἄλλ' ὡς μόρον ἄμμι πικρὰ
 ὅου σε μόνον φίλε ΓΥΜΝΑΣΙΟΝ καλοκαγαθὸς
 ζυνεία ξύρ μασσῶν ΦΟΪΒΩΙ ἔκλαυσε Πατρί: (σεμνόν,
 οὐδ' ἔ μόνη πάτρης ἐρικλενὴ ΦΡΑΝΚΪΔΟΣ αἴα,
 καὶ ποταμὸς δεικνύς γράμμασιρ ἡματ' ἔτρε.

Τυτονίδ' ὅ δὲ γλῆ σε ἀπώδυσαντο ἀρδρῆς
 πλείσα, ἐπισήμησ ὄωεκα σ' εἶο κλυτῆς.
 καὶ δ' ἔπισήμησ σὲ ἔχασ' ἀγαθοκλέα φήμιω,
 πενθῆ βωλφράμειωσ Ἀυσονίεσ αἴα μόρον.

EIVSDEM EPICEDII QVALIS
 CVNQVE IN LATINVM, DE VER-
 bo propè ad verbum, Translatio:

Eodem Autore,



Vem nos VVOLPHRAMVM, (Graij
 καλοκαγαθὸρ olim)
 Diximus: hei quàm nos mors tua discruciat.
 Sola nec Illustris te nunc Academia deflet,
 Phœbus & Aonidum ter PATER ille trium.

Nec, tibi quæ patriam nascenti præbuit ora,
 Quique anni fluvius suggerit arte dies.
 Eheu sed passim GERMANIA te inclyta luget,
 Cui bene nota TVI vis erat ingenij.
 Ipsa etiam ingenij famam hauserat Itala pubes,
 Quæ nunc Vvolphrami fata suprema dolet.

αὐτὰς

αὐτὰρ ἔγωγε πόθεν τὸ πένθεσθαι, ἠδὲ ὄδυρμάων
ἀρξομαι; ἢ πόθεν φάρμακον ἔξω ἔμοι;
ὅς πατριώταρ ἐμὸν σε ἄμ' ἐντρύπομην, καὶ ἐφίλων;
ἀλλὰ σὺ τρίς μείζων ἡμετέροιο κλέεσθαι.
ὦ πόποι, ὡς πανάρισθαι ἀποφθινύθαι σὺν ἀέργῳ,
οὐδ' ἀσόφῳ Δαίμων φεΐδεται, οὐδὲ σοφῷ.
φεῦ φεῦ οἶα, καὶ ὅσα γ' ἀτάσθαλα ῥέξαμεν ἀνοί,
ὧν χάριρ' ἀνδρῶν μόρῳ τόσον ἀπκῆυρε ΘΕΟΣ.
καὶ τὰ χ' αἰσδῶται ποτὲ παιδ' ἐντήριον ἀγνοῖ,
Ω ΠΑΤΕΡ εὐσεβίης πατρίδα σῶζε πόλιν.
οἶδερ' ὁ βωλφραμεύς τὸ ἀσοφόντασ, ὀλύμπῳ
ἁρμονίαν, τάξι, σχῆμα, κίνημα, φυλῶν.
(τῆς δὲ ἐπισήμης ὁ καταφρονέων πρὶ ἀσφῶν,
ἡμίσοφός γ' ἐστ', ἢ μὴ σοφός, ἀλλ' ἀσοφῷ.)
εὐπῶσδ' ἀζόμενος δὲ πάλ' ἔζηετέλεσε ἡ ἔργον,
βωλφραμεύς ὁ σοφός, πλαξί γεωμετρικαῖς.
ὅ, τῆσδε ἐκπονέειν ἄρ' μὴ ἀπὸ μοῖρα ἐρύξαι,
κάλλιον ἦν, (οὐ γὰρ ψεύδομαι;) ἱλιάδῳ.
νῦν δ' ἐπεὶ ἐκ ΜΟΙΡΑΝ τάγε μὴν λῖνα πάντα λελοίπα,
τῆς δὲ γόων βήσσης ἔζεκέλεσε ΘΕΟΣ:
διττὸν μισσοπόλοισι θυμαλγῆς ἄεξεν ἑέλδωρ,
τοῖς ῥὰ σφρισκομένοις ἀνδρῶς ἄμ', ἠδὲ τέχνης.
αὐτὸς ἀποιχόμενος δὲ καὶ ὠγαθεὶ οὐχὶ πέπονθε,
χριστὸν ἄρ' εἰσορέων, τῷ γε πέποιθεμ' αἰεὶ:
πλὴν πίσιν διατηρήσας γ' ὁσίως τε, ἢ ἀγνώως,
ξυρ' βιότῳ σεμνῷ, ἐκλεέσθε τέχνη.
πίσιν ἀτὰρ κείνῳ, καὶ ἐμῷ, εἰ γνῶναι ἔολπας,
ὡς λαβῆ: ΔΙΣΙΧΙῶ δ' ἐκκορυφώσω ἔπα.
πρῶτα δίδωσι ΠΑΤΗΡ, πάϊς κτήσατο, πνεῦμα δ' ἐρεΐδω:
δεξαμὴν πίσιν χεῖρ' ἴσθαι, ἔργα λαλῆ.
θνητῶν ὅσοι θνητῶν ἐπαὶ γῆρος ἐσμὲν ἄδ' ἄμ' αἰ,
ἐσμὲν ἁμαρτωλοὶ: τῷ δὲ ἐλέλυγμα θεῶν.
οὐ γὰρ ἐν' εὐαγέει ἐσκήκαμ' ἐκόν' ἀμεμφῆς:
αἴψα θεῶν δόξης ἀλλὰ σφρῶμεθ' ὅλωρ.
πρῶτα δικαιωθέντες εὐσπλάχνῳ δὲ τοκῆσθαι
τῆς χάριτι ζῶμεν. Πάϊς δ' ἀπέτισε λύττρον.
Μενοχθῆς

*Ast ego quæ tanti luctus exordia promam,
Vulneris accepti quæ Medicina forent?
Te mihi qui patria iunctum venerabar amore
Non fiet o: superes armina nostra licet.
Proh dolor, excellens minus haud obit, atq; homo nauci:
Haud stulto, haud docto parcere parca solet.
Hei mihi, quæ nostri corruptio, quantaq; secli,
Quam propter tantus vir cadit ante diem.
Orbaturq; modis miris ille orbis OCELLVS:
O PATER ô patriam protege Pieridum.
Nouerat astriferi Volphramus corpora cæli,
Consensum, motum, significata, situm.
(Si quis at eximam hanc spernit Sapiientulus artem,
Haud sibi cum doctis somniet esse locum:)
Iamq; opus instituit magna describere cura,
Aureolis tabulis LEGE Geometrica.
Cui summam imposuisse manum, nisi fata negassent,
Pluris erat (nec enim mentior:) Iliade.
Nunc sed enim, postquam vitæ vltima fila legebant
Parcæ, & ab hac uellet valle vocare Deus:
Inflixit geminum MVS ARVM Vulnerus alumnis,
Ingenio orbatis, & simul arte viri.
Nec tamen ipse obiens quicquam perpeffus amari est,
Sed, cui crediderat, pendet ab ore λόγος.
Saluificaque fide sanctè, pureque retenta,
Cum vitaque graui perpeteque arte sua.
Illius ast, nostramque fidem, si quærere pergis:
Sic cape: sic scite Musa Salana canit.
Dat genitor, meruit Genitus, firmatq; salutem.
Spiritus: Vna fides hanc capit, acta probat.
Quotquot enim semen trahimus MORTALIS ADAMI,
Peccatum, labes, & REA MASSA sumus.
Nanq; decus miserè disperdimus integritatis,
Nec micat in nobis gloria prisca DEI.
Sed PATRIS immenso iusti reputamur amore
Et merito (GRATIS) viuimus vnigena.*

B

San-

Μενοχρηῆς ἡμᾶς ἀπολύτρωσ' ὑψιγλύεθλϞ
χρισός, ὁ ἰκτῆρ ἀνδρομέοιο γλύσε.
ἄμμι δικαιοσύλω δ' ἐχαρίζετο δῶρον ἀμιοδί,
ὄυνεκα τῶ ΧΡΙΣΤΟΥ ἀνυλύτρωιο, ΠΑΤΗΡ.
αὐτὸς ἐπεὶ γλυετῆρ, ἀγάπης θεός, ἦορ ἰλασμόν,
πρῶθετο τοῖς πισοῖς εἰς γε δικαιοσύλω:
ὥσε ἀπαντα θεῶγε πεποιθότ' ἐφ' αἵματι χρισῶ,
κληρονομηρ τὸ φάϞ, χάσματ' ἐπυρᾶνιορ.
τορ μὲν ἄρ' εὔ εἶδῶς, εἰο εὔπισώσατο θυμῶ
βωλφραμεύς, ἦγυρ καλός ὁ, καὶ ἀγαθός.
ηϞ δ' ἠ ἐκκλα, καθῶς μαλακῶ δεσμημλύϞ ὑπνῶ
θνήσκερ, ἐπὶ χρισῶ θεῖς λύτρω ἐλπίδ' ἐήρ.
ναῦ ἄρ' ἀγαλλορλυϞ, χόρορ ἀθέρϞ εἰς ἀναληφθεῖς,
ἐγύθι ἀτρεκέως πρῶμμασι τ' ἄσρα βλέπει.
ξυρ δ' ἀγίω λδτῆρι, μελάγχθονι σώπτε μεγίσω,
τῶρ πάλαι ἔσκε φίλϞ δηλαδῆ ἀκροατῆρ.
ξυρ σεμνῶ τε Ἐ Α Μ Ω Ι πολυίδρεῖ: ὄνκε κρεεργοί,
βαυκοπανυργοτάτως ἔκτανορ οἱ ἀσεβῆς:
(οὗτορ ἄρ' ἐν βιότῳ βωλφραμεῖα μήγε κατ' ὄφιν
γνῶς ποτ', ἐπισήμης τῶνομ' ἐκλεσερ ὁμῶς.)
ξυρ δ' ἰορῶ μακάρω κύνκλω, ἀγγελικῶστε φάλαγει,
ζωῆς οὐρανόης χάσματ' ἄληκτα ἔχα.
χαῖρε τρεῖς ὀῶ, τετράκις τε μάκας καλοκαγαθέ, χαῖρε,
φραγκίδϞ αἰδίορ, πατρίδϞ ἠδὲ κλέϞ.
οὐ σεῦ ἐγὼ σοφίης τ', ἀρετῆς τ' ἐπιλήσομαι ὄνπω,
καίπῳ ἄρ' οὐ πολλοῖς ταῦτα μέμλε βροτῶρ.
χαῖρ' ἀγνῆ τριάδ', ὦ σωτῆρι ὁμέσιε χρισῶ
χαῖρε, καὶ ἠσυχίης καρπὸρ ἐκκλα δρέπει.
χαῖρε, δέμας δὲ φίλορ κῶφκ' εἰο γαῖα καλύπῃοι,
ἐυθαλέοι δὲ λόγῳ πνεῦμ' ἐνὶ κόλπῳ. Ἀμὲν.

Ἐκοιμήθη ἐν χρισῶ ἰησοῦ, ἐπὶ ἐλπίδι
ἀναστάσεως δικαίωρ, ηϞ ζωῆς
αἰωνίης.

Sanguine CHRISTE tuo, atq̄ in fonti morte redempti
 Vivimus, ô gentis Vita, salusq̄ TVÆ.
 Iustitiæ iniustos pater hinc nos munere donat,
 Respiciens Nati Vulnera quinq̄ SVI.
 Ipse etenim summus NATVM miserator asylum
 Proposuit, fœdi criminis atq̄ λύτρον:
 Quisquis, vt, in sacro confidit sanguine Christi,
 Sit consors Vitæ, lucis & æthereæ.
 Hunc bene cum norit, bene fixum mente tenebat,
 NOSTER IS, haud fictè Vir bonus, atq̄ grauis.
 Hinc placide expirans, soluit quasi membra quieti,
 Et sua damna λόγος Speq̄, fideq̄ leuat.
 Iam sed ouans animis in sydera celsa receptus,
 Lucida sub pedibus cominus astra uidet.
 Cunq̄ Lutheri anima sancti, magniq̄ Philippi,
 Quorum imbutus erat moribus, arte, fide:
 Cunq̄ graui RAMO, maectauit iure nefando,
 Heu quem, carnificum perfida turba, Virum:
 (Is licet in faciem non posset dicere, SALVÈ:
 Gestijt ingenij dexteritate tamen.)
 Sanctorum reliquo cunq̄ue agmine, Spirituumq̄ue:
 Cælestis fruitur perpete luce poli.
 Salue igitur, salue, bis, terq̄ quaterq̄ beate,
 O patriæ, ô gentis gloria, lumen, honor.
 Non artis, non virtutis me obliuia captent:
 Rideat hæc, cæno dedita turba, licet.
 Salue iterumq̄, iterumq̄, reposte per atria CHRISTI,
 Salue, ac carpe poli nectar, & ambrosiam.
 Dumq̄ cubant uiridi sub cespite molliter ossa,
 Gestiat in gremio Spiritus æthereo.

M: VVolphgangus Amlingi, Seruestæ ad
 Nicol: Pastor: Popolari, & affini suo,
 non sine acerbissimo luctu hæc cecinit,
 in spem gloriosæ resurrectionis.

B ij

Aliud.

A L I V D.

Εἶτο δὲ νῦν ἡμᾶς πόθ' αἴνυται οἰχομλύοισ,
 νόσον ἐπεὶ κῆρες κλατὲ ἔδῃσ' ἀνὸρ.
 ἅ δ' αἰετοὶ τοῖσ' δε βροτῶν χεὶ πότμον ἐπιωῆν
 ἡμᾶς, πᾶσιρ ὅταν μοῖρα τέτυκτῃ ὀμῆ.
 καὶ κρατορῶ γ' ἐπὶ αἰ κῆρες θανάτοιο πέλονται,
 καὶ δαίμων, ἢ ἀγαθοῖς τοῖς τε κακοῖς ὁμοίως.
 πολλάκι δ' ἠρώας θανάτῳ νέφ' ἀμφεκάλυψε,
 καὶ κτῆσις σοφίης ἐπλετο ἠκύμορος.
 οὐτ' ἄρα βολγὰ γὰρ τὸ γέρας μέγα φαίδιμον ἦδ' ἡ,
 κλαίόμερ' ἀμφὶ λόγους ἢ ἔυσοχὸρ' ἀγχινοίαν.
 ὅς τέχνησι μαθηματικαῖς δεδ' ἀμλύ' ἄλλως,
 πῶν μέτρων γνῶσιρ χεὶσ' ἀ δίδ' ἀξε σοφίῳ.
 ἄσφα τε μασεύων, μεγεθῶρ σωετὸς, καὶ ἀριθμοῖς,
 πλῆσον ἐπισκέψας φρόν' ἴσε καλὰ ποτέ.
 πρὸς τὸ κατὰ κλῶθας ἀσφ' ἠδ' ἀπρηκτορ' ἀνεῖργειρ,
 εὐρόμ' τοῖ καδ' ἔδ' τῶτο νόημα κακόρ.
 τὸ ξεῦτῃ μεσσηρανέωρ γὰρ ὁ Δελφίς οἰσὸρ,
 ὦρ ἰότητ' ἀ κρῶρ, ἐκβαλερ ἑννύχι' ὄ.
 τὸρ νυ ἑνὸσφισαμ, οὐμερ ἐπεὶ κλέ' οὐποτ' ὀλεῖται,
 ἀγλαὸρ ἑν λαοῖς ἔσεται ἀλλοδ' ἀποῖς.
 καὶ γό' οὐδ' ὑπὸ λυγρὸρ ἔδ' ἀδ' ὀκνητὸς ὀλεθρορ,
 ὦρτο λίω ἡμῖρ αὐτὸρ ὀδυρομλύοισ.
 ἡμετέρας δὲ φρεσῖρ τ' ἄχ' οὐ μόνον ὄσῖρ ἀλασορ,
 μάλλον ὄτ' ἐλλόγιμοι πῶν γοάσσι μόρορ.
 καὶ δὲ ἑὼρ θρήνησ' μῶσαι χόρορ ἔῖτα χορευέμ,
 ἀμφὶ Δίος βωμόρ μηδ' ἐν ἔχσσι πόθορ.
 πολλ' ὀλοφυρομλύκ φράζερ δ' ἢ παλλὰς ἀριθμοῖς,
 οὐ δαίαται θυμῶ πένθ' ἔχσσα μέγα.
 δ' ἀκρυόεις ἑρμῆς καὶ ἐπ' ἀρῶν κλυτὸς ἄσφωρ,
 λαυθάνεται σκοπέωρ ἀμφιδρόμους ἑλικας.
 καὶ φόρτω κάμνων μοχθηρὸς ὁ Ἄτλας ὀλύμπου,
 ἔλδεται ἑσσυμλύως μιν γ' ἐπίκρορ ἕνα.
 θυμὸρ δ' ἠσοναχᾶς τ' ἔθν' φιλόμωσορ ἐρεχθεῖ,
 τῶν μὲν ἀπο βλεφάρων δ' ἀκρυα συγνά βαλόρ.
 αὐτὰς ἐπεὶ δ' ἀνυσίρ ἵνα μήποτε δ' ἠόμερ, οὐδ' ἔ
 ὄσῖ φυγέμ θάνατορ, παυσόμεδ' ἀχνύμωμοι.

ὄλβια

ὄλβια μὲν κειμήλι' ἔχωρ θεοκλήμην ὅ' αὐτός,
 οὐρανίων δ' ὄρων πίμπλαται ἀμβροσίης.
 κῆθι δ' ἔγω μακαρέσι δόμοις καὶ κτήμασιν αἰών,
 ἀθάνατος ζῶει τὸν θεὸν ἔυλογέων.
 δῆ δ' οὐδ' ἐνθάδε λῆψεν ὄρον τε καὶ ἦτορ ἐτοίμως,
 αὐτίκα τὴν ἡμᾶς κῆσσε ἔπειθ' ὄδ' ὄρ.
 σωφροσύνῳ γὰρ νηφαλίῳ μάλα θέοδο ἕκαστος,
 ἐν φρεσὶ τοῖς κώμα πλῆστα μεθιέμην.
 αἴψα γ' ἐφισάμηνον γὰρ ἀφίξεταί ἡμᾶς ἐφ' ἡμᾶς
 λοιδόιον, ἀφνιδίη ὡσεὶ τεθῆσα παγίς.
 οὐ χάρις αἰδίοις γυνησόμεθ' αἰὲρ ἀνακτα,
 ἡμᾶς ἐν πίσει ἔμμελαι εὐσεβέως.
 αὐτῆς γὰρ τόνθ' ἰξομύνης ἐπὶ οὐρανὸν ἐυρύρ.
 τὴν θεῶν μῆνιν δ' ἡσομον οὐ χαλεπὴν.
 πλὴν δ' αὐτ' ἐυδικίῳ ὁ θεὸς πολυήρατος οἴσει,
 ἀφθιτὸν οὐρανόθεν χάριμα φάσθε τε δίδουε,
 τῶν δ' ἐκακῶν δ' ζανύσεται καὶ κύδιμος ἄτης,
 παντοίας λύσει ἐγγύθεν ἐσόμεν.
 ἦν νένυας τέλει ἐκ δεσμῶν χρονοῖο λυθέντας,
 ἐς ζωὴν ἀγαγεῖ οἴκαδε θεαπεσίῳ.

M. Iodocus Iungman Cassellanus.

A L I V D.

HOC nuper tumulo Schulerus conditus ille est,
 Qui de Francorum sanguine natus erat.
 Hic sibi per multos annos usu extulit artes,
 Quarum est abstrusus, difficilisq; labor.
 Argolica veteres dixerunt voce μαθήσεις
 Quod summo addisci mentis agone velint.
 Hunc igitur Musa lugent, hunc luget Apollo,
 Sublatum ex oculis Leucoris ipsa dolet.
 Iustior adest dolor est Musarum & Apollinis ille,
 Quo rerum altarum doctior ipse fuit.
 Totius norat Systema volubile mundi,
 Terrarumq; animo norat obire globum,
 Non dicam nostro quos scimus vivere seculo,
 Inferior Siculo non fuit ipse Sene.

B iij

Esset

Esset ut hoc, adyt longa regione viarum,
Hac admirandos cognitione viros.
Huic puto vixisset si tempestate Platonis,
In cuius famam mundus ubiq; patet:
Schulerum doctis passus succedere tectis,
Constanti amplexus mentis amore foret.
Nec tamen hoc ipsum Parcarum à lege redemit,
Non minus obscurum mortis adiuit iter.
Nunc nihil illius super amplius: omnia secum,
Abstulit, egregium quæ decuere virum.
Si prius in lucem tantum sua scripta dedisset,
Fama uel æternum quod loqueretur, erat.
Hoc petijt Ramus, quem fata indigna tulerunt,
Multi prestantes hoc petiere viri.
Sed prematuro sublatus funere abiuit,
Ut cunctis tandem mors obeunda uenit.
Hic corpus tegitur: mens tranās aethera summum,
In CHRISTI sese condidit alma manu.
Ast tu si quid habes mentis, rogo patria luge,
Arte tibi hac similem non dabit vlla dies.

Ioannes Poppius, ludimode-
rator Munerstadenfis.

A L I V D.

AVrea formosi redyt iam gratia veris,
Et tepidis iterum credit se solibus arbor:
Mutat terra vices, vultusq; assumit amicos
Magna parens, largo dum celsior aethere Titan
Inuehitur, viresq; apricis sufficit herbis.
At vero toto nil immortale repertum
Orbe, sed assiduo decurrere singula motu,
Blanda renascentis monet indulgentia cæli:
Stabat honos viola, florem maturior etas
Destituit, iam tarda novos rosa sumit amictus,

Et

Et distenta sinus suauem desudat odorem
Syluestres inter dumos, quid amœnius illa?
Dum loquor, aduersam uehementior impetus Austri
Vulnerat, aut grauius languentem Sidus adurit.
Res agitur vicibus: Ver interit, interit æstas,
Et rosa purpureum floris desperdit honorem.

Sed quid ego hæc autem? si par discrimine nullo
Exercet fortuna homines, sublimia cælo
Qui capita attollunt, diosq; imitantur honores:
Quondam etiam tepidis cum iam cruor ossa relinquet,
Purpuream tennes animam exhalabis in auras,
Quo ferus Alcides? quouè Hector? ubi acer Achilles?
Quò pius Aeneas? ubi iam crinitus Iopas?
Qui varios potuit cæli describere motus:
Cynthia quid toties vultus mutata priores,
Diuersam exhibeat formam, quos erret in orbes:
Quid uè adeò hyberni properent decedere Soles,
Aut contra æstiuis unde incrementa diebus
Precipitent noctem & somnos inimica recusent:
Quæ quondam Linus edocuit, quæq; Ismarus Orpheus,
Aut Atlas, ubi nunc Orpheus? ubi maximus Atlas?
Vixerunt, cecidère omnes, nox lumina clausit,
Mortalem implerunt legem, sua funera passi.
Parietibus nostris exempla petamus, ut atrox
Omnia subuertat Nemesis, latumq; per orbem
Limitem agat telis, Erebo spolia ampla reportans:
Nec desistit enim, donec saua impleat ausum,
Et prosternat humi, inferias quos immolet umbris.
Ut si vere nouo terram insectatur auarus
Agricola, & presso sulcos infundit aratro,
Succisæ intereunt herbae, demessaq; ferro
Gramina languefcunt, inter morientia glebas:

Haud

Haud alia humanam rapit inclementia gentem,
 Et subito Eumenidum versat soror omnia casu,
 Eximit hos illos caeco discrimine lethi.
 Experti loquimur, nuper miserabile damnum
 Perpepsi, nostrum cum mors Atlanta subegit.
 Dij prohibere nefas, Dij talem auertere pestem
 Vestrum erat, inq̄, malos odium conuertere acerbum:
 Fas seruare bonos, nil hic committere tantum
 Nec potuit, nec tale aliquid virtute mereri.
 At metuo indigni fuimus, seu Iuppiter illum
 Iratus fors è uiuis ob nostra poposcit
 Deliquia, & culpam hanc in fontis morte rependit,
 (In dubio causa est) siue hunc inuisus Apollo
 Sustulit, his terris tantum ut subduceret artem,
 Quam studio ingenti multis urgebat ab annis:
 Ille omnes motus, ille omnia sidera norat.
 Namq̄, videbat enim, sublimi in vertice mundus
 Induat ut motu iam decrescente senectam,
 Et neget ulterius tantum perferre tenorem:
 Effæta propius dum terra aduertere Solem
 (Argumentum ingens) didicit, seu lumine tandem
 Deficiens nequeat virtutem infundere rebus:
 Seu longum pertasus iter detrectet habenas,
 Et superesse neget iam fesso Atlante labori.
 Ut si quando domus trahit inclinata ruinam,
 Soluuntur consumpta situ laquearia tecti
 Exeisis trabibus, rimis tabulata fatiscunt
 Cum sonitu, & fulcris moles se sustinet agrè,
 Quippe ubi in aduersam stridentis sibilus Austris
 Consurgit, videas totam ab radicibus imis
 Euulsam ruere, inq̄, unum considerare aceruum:
 Haud aliter decora alta poli confecta tot annis

Acci

Accipiunt senium, atq; in se contracta recumbunt,
Ad nutum magni iam iam lapsura tonantis.

Luclantem quoties monstravit in aethere Lunam?
Cum nitidos atra texit ferrugine vultus,
Et facie horrenda suspensum terruit orbem:
Quam Sol effugiens obscura in nocte reliquit
Multa indignantem, & quiddam fatale ferentem.
Præterea, quoties nobis momenta reclusit?
Cum Phæbe contra (ne fratris inulta maneret
Invidia & toties auersa iniuria lucis)
Quandoq; aspectum vicini Solis ademit,
Exclusitq; diem, stellasq; accendit Olympo
Aduersos subita inuoluens caligine tractus,
Cum sese obiecit mediam, radiumq; retorsit.

Necdum etiam memori venere obliuia menti,
Ut nouus aethereis exarserat orbibus ignis,
Natura supra morem stans amplius annum,
Quâ geminam coniunx Cephæia circuit Arcton.
Primus hic ignotam seruauit in aethere stellam,
Signauitq; vias, quò se irrequieta receptet,
Ingentem qua vi molem trahat arduus aether.
Infœlix semper sidus: quando omnia verè
Heu nimium de te præfago ille ore canebat,
Præsentes capiti pœnas incumbere nostro
Cum monuit, cœtusq; ea uisa manere docentum.
(Nunc repeto) indignis quot iam coiere tenebris
Præsantes animæ supra ardua sidera notæ?
Credo etiam hunc veritum, ne fata inopinus obiret,
Namq; aliquod magnum vulgare in luminis auras
Maturabat opus, festinus nocte dieq;
Supremum ante obitum: mansit tamen imperfectum,
Et sudantem operi mors importuna retraxit.

C

Heu

Heu scelus indignum: potuisti abrumpere vitam?
Nec paruum extremo spacium impetire labori
Ab demens? animam ipse lubens, ultroq; dedisset,
Quod si immota tua stabat sententia menti,
Vna anima haud quamuis dederit discrimina tanta.

Sed quid vana moror? quid nescia fata moueri
Incuso? siquidem non illum viuida virtus
Non decus ingenij, quamuis ea summa fuere,
Restituet nobis: nec habet fortuna recursum.
Nitendum prece, quando aliud nil restat, & equis
Parendum fati: Omnes ea manserit hora,
Qua si tarda venit, venturam deniq; certum est,
Et prope forsitan adest: si nos oracula vatum
Vlla mouent, Christi vero si credimus ori.

Tu qui CHRISTE bonas praebes orantibus aures,
Iam nunc Elysis morientem suscipe campis,
His habitet regnis, Diuis permistus: & ante
Contemplata foris qua mente animoq; ferebat
Concaua, nunc intus caeli conuexa pererret,
Qua, fulgente Deo, claram dant omnia lucem.

D. Praeceptor bene merito s:
Georgius Conradus Ochsen-
furtensis, Fr:

ALIVD.

S Pargite humum folijs, pallentes ferte cupressos,
Laguida q; offusso pracludite pectora luctu:
O magni soboles Iouis, o pia numina Musae,
Tuq; vicens annis Musarum ductor Apollo:
Pars ingens vestri Wolfgangus nostra reliquit
Hospitia, & caeli potius se credidit aure.
Vnus hic ah nostri stat causa caputq; doloris,

Non

Non equidem quod morte sua fas aetheris alti
Occupat (haud ita promeritis quod sanguine nobis
Ille Deo genitore satus dedit esse paternum)
Sed quoniam grauior fatorum euentus acerbat
Fata piy capitis, vicinaq; culmina nobis,
Vulcano superante animis, leuis arripit ignis.
Nāq; ego quid primum querar? aut quo percitus æstro,
Tanti morte viri que nos mala plurima versant,
Insequar? aut meritis cumulabo incommoda dictis.
Ipsa dies, mensisq; fugit, fugit improbus annus,
Crescit & in nobis & in ipsa crescimus hora:
Nec minus (indignum) quidnam irreuocabile tempus,
Vix ulli cura est, in utramq; recumbimus aurem,
Et que speramus cuncti, pauci astra videmus.
Heu quantum circa mortalia pectora frigus
Obsidet: & quanta caligine mersa premuntur:
Hunc saltem superesse virum si fata dedissent,
Iam noua contemptis redyisset gloria musis.
Solus hic arguto flagrantis acumine mentis,
Ingēnioq; acri, numeros perfectus ad omnes,
Et maris & terra, numeroq; carentis arena
Corpora, & innumeras referebat in ordine stellas.
Non illo maior, nec erat præstantior alter
Astra parare animis, doctoq; inscribere arithmo
Stellarum variosq; aditus, variosq; meatus,
Ille etiam docuit, quos mundi terreus orbis
Hinc atq; hinc homines spacys discluserit amplis,
Atq; ipsi inter se quā longis passibus absint.
Mox tractusq; maris relinquens, terrasq; patentes,
Aëria admonuit qua nam regione locorum
Gignantur nubes, ruptisq; e nubibus imbres,
Et quibus inclusi spacys infraq; supraq;

Voluantur, ventisq; acti sine lege ferantur,
Nec mora, sublimi super aethera mente leuatus
Consultus caeli & numerosi sideris acer
Edidit errantes voluendis orbibus ignes,
Signorumq; apto descripsit tempora motu,
Sidere quo resecanda Ceres, quo semina sulcis
Tempore sint mandanda suis, causasq; notauit
Quid tantum hyberno properet se tingere Phœbus
Oceano, ac longis procedat solibus aestas.
Tum varias Lune formas, variosq; labores
Addidit, & stellas vasto quas tramite magnus
Signifer intorquet, totum qui temperat orbem
Aspectu, posituq; sui, notumq; vigorem
Corporibus dat habere suum, motumq; ministrat.

Sed quid ego hac nequicq; etiam nō grata reuoluo,
Magna oranda forent, nisi vox obscura loquentem
Deficeret nisi in medio, neq; vocibus istis
Tempus eget, medios inter sunt omnia soles.

Tantane crudeli permissa licentia morti?
Vnius ob noxam ut pariter dominetur ad vnum
Omnibus, atq; umbris quae sunt pulcherrima mergat?
Ast ita caelitis visa haec sententia diuis:
Et fati hunc etiam, mortisq; potentia fregit:
Non illum pietas, non constans religionis
Censura, aut magni protexit pectoris instar.
Atq; equidem egregium quanto exuperabat in ipso
Doctrinae decus, & caeli spectabile donum:
Tantò etiam postquam nunc illum caeca tulerunt
Fata virum, pylios dignum qui viueret annos,
Flebilior nobis quòd sit iactura, videmus.
O desiderium seculi VVolgange futuri:
O dolor, atq; decus Phœbi: quis praemia tantis
Digna ferat meritis, linguaue exaquet honores?

Eia

Eia agite ô si quem stringit pietatis imago,
Et vos Leucorides (si qua est ea cura) sorores,
Tu quoq; Phæbe pater, vosq; aurea numina Muse:
Si vestrum hic coluit numen, si semper honorem,
(Triste quidem decus, at pulchri solamen amoris)
Manes sic meritos, & nil cælestibus ullis
Debentem officijs animam decorate supremis.

Hac fatus tenus, en subito vox fertur ad aures:
Vox audita sonat Phæbum, sicq; illa vicissim
Insonuit, cineriq; effata nouissima verba est.

Nulli certa domus terris, semel omnibus atra
Mors adeunda; sed æternum virtute mereri
Nomen, & arce frui celsa, quam sanguine nobis
Ipse suo peperit. DEVS æthere missus ab alto:
Non opis humana est, cælo venit impetus ille,
Virtus, atq; animi cultura simillima Diuis.

Ille quidem ante alios doctrina insignis & arte
Ille meus iacet, at non hic iacet & sua virtus:
Nanq; per ora virum defertur inobruta magni
Fama viri, notaq; errans regione viarum
Astra quibus letatus habet, magnumq; profundi
Desuper aspiciens miratur limen Olympi,
Sub pedibusq; videt nubes & sidera cæli:
Et dubitamus adhuc factis accendere famam.

Aspice adhæc etiam conuexi pondera cæli:
Ipse humeris axem qui torquet cælifera Atlas
Insolitam miratur opem, fidumq; laborum
Voce vocans socium digno veneratur amore.
Maçle animi, ingenijq; bonis, sic itur ad astra,
Dum face Phæbus obit terras, dum sidera cælo
Labuntur tacito, reparat dum cornua Phæbe,

*Semper honos, virtusq; viri, plaususq; vigeant.
Dixerat: atq; ingens in luce refulsit Apollo,
Purpureosq; iacit flores, animamq; beatam,
Egregiamq; animam hac extrema voce salutat.*

SALVE SANCTA ANIMA ÆTERNVM, SALVE
INCLYTE CELSI
SYDERIS INTERPRES, COELI IVSTISSIMA
CVRA, (MEN:
ÆTERNVMQ; VALEMVSARVM NOBILE LV
SALVE ITERVMQ; ITERVMQ; VALE DECVS
ADDITE DIVIS.

IOAN. ADAM LONICERVS Francof.

ALIVD.

*Sidera qui numeris emensus, humumq; iacentem
Lustravit Mundi mente frequenter opus.
Ordine quo Stella motuq; ferantur & orbe,
Quouè ciant inter sese elementa sita.
Non minor ingenio te, docte Copernice, & arte,
Sive tuus præsto sit, Ptolemæe, labor.
Occidit, & vitæ curis & sorte solutus,
Infima quæ summis miscet iniqua bonis.
Atq; polo reddens animam, quæ nouerat antè,
Astra Deo coram nunc monumenta videt.*

M. Steinberger. Vratisl.

ALIVD.

Academia Vuitebergensis loquitur.

*Dicebam, me fata manent luctusq; perennis:
Semper adest nostris altera causa malis.
Ecce nouas iterum poscit fortuna querelas,
Surge iterum crescens fletibus Albi meis.
Nam seu quid merui, seu sic mea fata tulerunt,
Ad mæstos reuocat ferrea Parca rogos.*

O ego,

O ego, si possim tantos nescire dolores,
Quam malle non habuisse meum.
Nunc Cælum toties cogor pulsare querelis,
Nec quem tristitia perdita scire modum.
At vulgo nunc sacra feror, nunc cura Deorum,
Nec non humanis altior esse malis.
Ah miseram, non est morti reuerentia nostri:
A nullis rapidas abstinet illa manus.
Quis tot diuini laudes ac scripta Lutheri?
Quis dotes animi docte Philippe tui?
Quis nescit, quorum meruit pia gloria nomen,
Egregios centum laudis honore viros?
Quosq; tulit similes fœcundi temporis atas?
Cum studium de me promeruisse fuit.
Num minus immites senserunt numine parcas?
Et sunt angustus quod tegit omne cadus?
Et quis vel Paridis dicat mea funera matrem,
Vel sortem Niobe non superare tuam?
Felices, quarum finem cepere labores:
Aerumnis statuunt ultima fata modum.
Nunc, velut hæc miseris desit sors vnica rebus,
En immatura morte SCHVLERE iaces.
Nec iuuat (heu) primos formosi temporis annos,
Nec mihi iam seros contribuisset dies.
Nec iuuat ingenuas caput exeruisse per artes,
Et procul humanas exuperasse vias.
Ergo iaces? nostrum iacet, heu iacet, & decus & lux,
Heu nimium fame certa ruina mea.
Quid uerò toties peregrinas visere terras?
Sæpe graues soles, sæpe tulisse niues?
Quid prodest nullos adeo fugisse labores?
Quid studijs noctes & vigilasse dies?

Sit

*Si tot scripta tamen multos sperata per annos,
Cum domino pariter sunt peritura suo.
Prò superi, vacuas omninè SCHVLERS in auras
Ibit? & huic superet gloria nulla viro?
Pierides, mitesq; Dele, tuq; una sororum
Tu quæ cælesti nomen ab arce trahis:
Vester honos agitur, rebus succurrite vestris,
Ne pereant vno, tot bona scripta, die.
Nam quis signorumq; obitus magè norat & ortus,
Quas peragant cæli sidera certa vices?
Cur sol purpureos deformet sanguine vultus?
Cur tristis, medio Cynthia sæpè polo?
Quis magis astrorum poterat cognoscere causas?
Qua vi sint rebus commoda, quæue minus?
Quid graue Saturni, quid gaudens sanguine Martis?
Quid tribuat medio sydus in orbe Iouis?
Quid moueant validi surgentia cornua Tauri?
Mersus & occiduo frater vterq; mari?
Quid? cum terrificos suspectans atheris ignes,
Dixerat ingentes haud procul esse metus.
Heu nostro nimium, nimiumq; secuta periclo:
Omnia sunt medio candidiora die.
Sed tu, iam summi certissimus atheris hæres,
Iam pars aligeri facta beata chori,
Sine iuuat cæli spectare volubilis orbes,
Et quæ nos maneant fata uidere polo:
Sen magè cælesti credam te sede receptum,
Gaudia per Christi munera parta sequi:
Quosq; ô, quos inter permistos carmine plausus?
Quæis rear in medijs viuere letitijs?
Hæc immatura tibi sint solatia mortis:
Effugit extremum nomen, honosq; diem.*

Iam

Iamq̄, aderit tandem, iam iam reor affore tempus,
(Non modò sint scriptis fata maligna tuis)
Cum vaga crebrescens ingentem fama per orbem,
Ad seros venies non leue nomen auos.
Nec tua sub muto vilescant membra sepulcro,
Stans lapis incisis indicet illa notis.
Nos quoq̄, si quid id est, sparsis ad busta capillis
Fleuimus, & tristi tersimus ora manu.
Testes Pierides, testis mihi Mœnalis Arctos,
Altior & lacrymis tu pater Albi meis.
Vos etiam miseris iuuenes spes vnica rebus,
Sectantes gremijs ocia grata meis,
Vos mihi consortes tanti sociosq̄, doloris
Iam patuit sanis condoluisse malis.
Ite, ac dilecto soluentes iusta Magistro,
Addite supremum munus in exequias.
Omnia crudelis rapit inclementia mortis,
Fortè & nos hodie fata fuisse volunt.
Hac quoq̄, care, tibi nostrum testata dolorem
Ecce fero lacrymis ferta rigata meis.
Parua quidem, fateor, sed si me fata reseruant,
Contingant tumulo sæpius illa tuo.
Iamq̄, vale tandem, placidaq̄, in sede quiescas,
Nec grauet impositum condita membra solum.
Nunc tibi parata quies, nunc mens secura laborum,
Nos agitant varijs spesq̄, timorq̄, modis.
Nescio que tot perpeffam fortuna sequatur:
Incertos semper cogor habere metus.
At mihi care vale, seu nobis lata supersint,
Sive: sed auspiciū mens fugit ipsa suum.

MICHAEL SCHIPPELIUS.

Benshusius. Fr:

D

Aliud.

A L I V D.

ERgo etiam petijt, tumulumq; subire coëgit,
 Nec te praterijt, mors properata virum?
 Hei mihi quàm magnus dolor angit pectora mæsta
 Quod tua mandantur corpora functa solo.
 O studiosa cohors, Musis addicta iuventus,
 Quæ colis albiacæ docta Lycea scholæ,
 Huic celebri, doctog; viro, pietate verendo,
 Flebilibus canito carmina mæsta modis.
 Quid tibi profuerit vir tantus, sola iuventus
 Nosti, perpetuò uiuere dignus erat.
 Ergo huius casum meritò plorare memento,
 Leucoræa cecidit magna columna scholæ.
 Sed quid flere iuuat? nam nescit cedere fletu
 Assiduè doctis mors inimica viris.
 Fata manent omnes, fatum ergo ferre necesse est,
 Nos transire semel per pia fata decet.
 Transiuere patres, sic Christus transijt olim,
 Sic transiuerunt turba professa DEVM.
 Sic quoq; transiuit reuerendus ad astra SCHVLERVS,
 Cuius iam ferimus manibus exequias.
 Tempore sic certo nos hinc transibimus omnes,
 Transibunt quotquot numina sancta colunt.
 Qui moritur transit felix ad gaudia cæli,
 Transitus ad vitam mors solet esse nouam.
 Det DEVS hinc leti nos ut transire queamus
 Ad Christum, sedes hic ubi tuta pijs..

E P I T A P H I V M

E I V S D E M.

Quisquis eris, nostri cernens monumenta sepulcri,
 Quæris quem tumulus contegat iste virum?

Hæc

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





XC1.

CEDIA SEVCARMI.
 NA FVNEBRIA,
 BITVM ORNA
 I ET CLARISSIMI VIRI, PIE-
 ute & doctrina præstantissimi Domini M.
 ANGI SCHVLERI MVNER-
 NSIS Fr. Mathematicum in inçlyta Vuite-
 Academia professoris excellentiss: qui in ve-
 e, & inuocatione Filij DEI Emanuelis, ex hac
 rum valle, cælestem in Academiam τῶ λόγῶ
 ideq; migravit: postridie Calendas Iuni-
 ora vndecima noctis, Anno salutiferi
 tus supra sesquimillesimum LXXV.
 Scripta ab
 Amicis & popularibus.
 τεόσιχον continens simul mensem
 & diem obitus.
 PhœbVM InFLExis bis IVnXerat aLTI
 AbVS OCCant, fata SCHVLere SVbis.
 I. Klingenb: N.
 WITTEBERGAE.
 mentis Schleich & Antonij Schöne.

Om̄ consulis filio, J. W.

dg.